



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 57. Pontificis colloquium cum Lotharingio Cardinale circa Synodum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

chiepiscopis, eorumque Vicariis haberentur, ideo petebant, ut tantummodo tunc ad id adstringerentur, cum provincialis Synodus esset celebranda: insuper iidem, quatenus in suos quoque inferiores æquitatem præferrent, postularunt, ut eodem nexu pariter solverentur Archipresbyteri, & Parochi erga Episcopos, excepto duntaxat eo tempore, quo ad Diæcesanam Synodum celebrandam accedendi necessitas suaderet, aut cum opportunum Episcopo videretur eos advocare: affirmabant enim illi, quod huiusmodi consuetudo nonnisi a Synodis, quas sæpius per annum celebrare usuvenisset, originem traxerit, his vero nunc abolitis usus tamen conveniendi quantumvis inutilis, ac non parum molestus permaneret, quare Legati, ut tranquillius res procederet, destinarunt duos Episcopos, totidemque Archiepiscopos, qui agerent inter se, & opportunum huius rei remedium excogitarent.

§. LVII.

*Pontificis colloquium cum Lotharingio
Cardinale circa Synodum.*

Cum Legati rebus ita dispositis, adhuc dubii hæerent, an Sessionem maturare, vel potius Cardinalis Lotharingii adventum præstolari oporteret,

*Pallav. c. 6.
n. 1. & 2.*

Nn 3

de

Sæcul. XV
A C 1563

derepente Roma Pontificis mandatum accipiunt, vi cujus nihil absque præfato Cardinale aggredi iubentur: insuper Pontifex illos certiores reddebat ferme de omnibus, quæ ipse cum Cardinale contulisset, inde autem apparebat, quod vicissim utrique plene satisfactum esset: quapropter Lotharingius literas benevolentiam in Pontificem spirantes scripserat in Galliam, ubi commendabat optimam ejus voluntatem circa reformandam disciplinam, & improbabat Gallorum contestationem: præterea ejusdem Papæ studium erga Ecclesiam deprædicabat ac pariter etiam Franciæ Regem impense rogabat, ut suis Oratoribus præciperet, quatenus Tridentum confestim reverterentur, & deinceps cum majori moderatione se gererent, ac hucusque fecissent.

§. LVIII.

Lotharingius Cardinalis Roma profectus, ac Papæ literæ ad suos Legatos.

Die vigesima Octobris Lotharingius Cardinalis Roma discesserat, eadem vero die summus Pontifex prolixam admodum epistolam ad Legatos suos dabat, in qua præprimis hæc significabat: „Lotharingius præter expectationem meam mihi satisfecit, qui etiam